LUNA.

SUperbiam ſemper comitatur propriarum virium fiducia, fiduciam hoſtilis potentiæ contemptus, contemptum error in conſilijs, errorem infelicitas eventuum; ita, dum Pompeius tumido animo gloriatur orituras è terra contra Cæſarem militum cohortes, infauſto Pharſalicæ pugnæ eventu ſe, ac Reipublicæ libertatem perdit. Pompei ſuperbiam ſuperavit immodicus Xerxis Perſarum Regis faſtus, qui cùm tantùm in Græcos duceret exercitum, ut Scamander & Melana fluvij una cum lacu triginta ſtadiorum à ſitienti milite ac jumentis exhaurirentur, ad oſtentandam potentiam teſte Iſocrate: *pedibus maria calcavit, remis terras tranavit*, eoq; temeritatis proceſſit, ut certam Græciæ cladem, Neptuno compedes, & ſoli tenebras minaretur, immiſſiſq; pelago compedibus trecenta ei infligi verbera juſſerit, ac Heleſponto ſtigmata inuri, ſed ut bene monet Seneca, *nulli fortunæ minus bene creditur, quàm optimæ*: nec fida eſt potentia, quæ nimia, hinc Xerxes, dum ſuorum confiſus multitudini Græciam abſorbere cogitat, graviſſimâ cæde preſſus tantiſper mortem fugâ diſtulit, ut non ſine domeſtico crimine moreretur, *ita nunquam in ſolido ſtetit ſuperba felicitas*, uti Seneca monet, *& magna faſtigia oblivione fragilitatis humanæ collapſa ſunt: quo enim* aſſerente Petrarcha, *potentia major, eò majus in illam fortunæ imperium, & magna proſperitas magnam facit viam adverſitati*: Hoc ipſum experitur ſuperba Turcarum monarchia, quæ non contenta magnam Orbis partem ſub atrociſſimum coëgiſſe jugum, in vicinos omnes ſuam rabiem effundere ſatagebat violatis pro libitu inducijs, nullum enim jusjurandum firmum eſt, ubi juſtitiam calcat ambitio, jam Venetorum virtutem bello multis annis continuato probaverat, cedente tandem Candia, jam Poloniam armorum violentiâ infeſtaverat, erepto Caminizio: Jamquè Hungariam potenti exercitu inundaverat, occupato Uivarino, ſemper cæſa, nunquam fracta, &

ſic Ottomanica Luna Orbem cædibus & terroribus jam impleverat, unde juxta naturæ curſum neceſsè erat, ut ea impleto Orbe decreſceret, & meritò, *qui* enim uti affirmat Livius, *non ſtatuit felicitati modum, quò altiùs elatus eſt, eò fœdiùs corruit*; inhiabat illa imperij Occidentalis pomo, non ſolùm Tantali, ſed & Chennetti Regis pœnam ſubitura, qui cùm ad decerpendum pomum varijs gemmis ornatum extendiſſet incautam manum, præparato à Fenella artificio confoſſus eſt, erumpentibus è pomo ſagittis, vix enim Turcia operi manum admovit, cùm intra viſcera excepit ferrum deletis copijs urbibusq; expugnatis, & licet novis ſuppetijs militum jacturam ſæpius reparaverit, aliud tamen non præſtitit, quàm ut novis majoribusq; victorijs viam aperiret, & LEOPOLDUS MAGNUS meliori jure quàm Pyrrhus dicere poſſet, *video me Herculis ſidere procreatum; cui quaſi ab angue Lerneo tot cæſa hoſtium capita renaſcuntur.* Ac tandem vicinum advertamus tantæ potentiæ excidium. Ita Ottomanica Luna amiſſo ſplendore IN ORTU OCCASUM invenit, non ampliùs oritura: licet enim illius potentia ex aliorum Regnorum cineribus nata ſit, Phœnicis tamen naturam non participat, ut renaſcatur.